

C. B. D.

*Janus Ethicus:  
Thom. et non per se, ne  
a spirit. beati. sic*

DE

MORALIS DOCTRINAE  
ET PRAECIPVE  
MORBORVM  
VOLVNTATIS  
GENVINO SYSTEMATE,

*Permissu & Auctoritate Grauisssimorum*

SCHOLARCHARVM,  
PRAESIDE

M. MICH. HENR. REINHARDO,  
SCHOLAE PATRIAE RECTORE,

*Ad D. 1. KL. Maias 1708. finitis sacris matu-  
tinis publice disputabit*

*Respondens*

DANIEL GVILIELMVS Brunqvell /  
Frideslaria, Hassus.

---

HILPERHVSAE, Typo PENTZOLDIANO.

*A*

*a. XCV. 10.*

Coll. diss. A  
95, 10

VIRIS  
*Nobilissimis, Prudentissimis, Amplissimis*  
ac Doctissimis,  
DOMINIS  
CONSVLIGRAVISSIMO,  
ET  
SENATVISPECTATISSIMO  
HILPERHVSANAE CIVITATIS,  
QVAE  
SERENISSIMO PRINCIPI  
*ILLVSTRIS SEDES EST,*  
PATRIBVS PATRIAE VENERANDIS,  
PATRONIS SVIS AC FAUTORIBVS  
OMNI OBSERVANTIA COLENDIS,  
cum hac disputatione,  
solemnis pietatis instrumento,  
qua  
MVSA S PATRIAS  
valere iubent,  
*se suaque studia omni observantia*  
commendant  
DANIEL GVILIELMVS Brunqvell.  
IO. PETRVS Bogt / &  
IO. CHRISTOPH. Otto / Hilperhusani.





Q. D. T. O. M. B. V. A.



Raecipuas ab omni retro antiquitate Philosophiae moralis fuisse partes, atque adeo a barbaris quoque imprimis cultam, ad quam sapientiae cultores, quicquid studiorum, quicquid scientiae sectabantur, omnemque vitae consuetudinem referendam docuere, quod in ea summam hominis felicitatem positam, aut se inuenturos arbitrabantur, \* sine controuersia certum haberi existimo. Sed in ea excolenda & tractanda non eadem omnes ratione & euentu sunt versati. Antiquissimus quisque ipsa integritate vitae, praeceptorumque simplicitate famam sapientiae consecutus est. Scytharum Anacharsis & Abaris, Celtarum Germanorumque Druides & Bardi, Gymnosophistae Indorum, ad hanc classem pertinent. Nec minor morum innocentia Pythagorae & discipulorum fuisse creditur, ut de Socrate, Platone, Zenone, multis Stoicis, ipso Epicuro nihil dicam, qui splendida suis temporibus virtutis simulacra se gessere. Praecepta primum & vitae regulas simplicissimas adhibuere, ut plerique potius *γνωμικὴν* quam *συστηματικὴν* Philosophiam professi videantur. Ex quo vero certam quisque sententiarum & doctrinae compagem sequi coepit, Sectarum nomina sunt oborta, quae ut sub-

A 2

inde

\* *Cic. L. V. fin. c. 29.* Omnis auctoritas Philosophiae consistit in beata vita comparanda. *Et Lib. IV.* Summum bonum continet Philosophiam. *Conf. Lib. II. Tusc. quaest. c. 4. & L. V. c. 2.*

inde magis in caecae rationis tenebrosam caliginem sese immerferunt, ita longius a simplice veritatis tramite aberrarunt.

II. Scilicet ea est diuinae huius disciplinae indoles, vt humanae mentis corruptio quicquid virium reliquerit, nec in principiorum veritatem penetrare, nec veram voluntati sanitatem vllam vnquam restituere possit. Obscura quaedam, sibi incerta, vaga & vndique oberans principiorum naturae inscriptorum notitia, veluti cineribus sepulta suis, latet, quam tamen ad immotum sapientiae fundamentum excitare, quantum satis esset, nulla ingenii felicitate poterant. Vt externa quaedam in orbe disciplina & oeconomia retineretur, pateretque ad veram viam index & παιδαγωγία, Dei beneficio inferiores illae propositiones atque ex principiis alioqui fluentes conclusiones, quas τὸ ἔργον & νόμος vocat Apostolus, \* Stoici κατορθώματα & καθήκοντα, Cicero vocabulo hodie quoque approbato, Officia, clariorem quandam lucem in illa virium humanarum πανολεθερία retinuerunt. Vnde quotquot vel in prisca simplicitate γνωμικῇ substiterunt, vel certe in his excutiendis officiis ingenium maxime exercuerunt, ceteris omnino saniora docent. Stoicorum hinc celebratissima praecepta nata, quae non mediocrem ipsorum scholis auctoritatem conciliarunt. Atque adhuc eius generis scripta cum aliquo fructu Christianae iuuentuti commendantur. Tullius, Academicus cetera, illud quidem caput omnium rectissime, ἀπὸ τῆς σοφίας mutuari ratus, eam laudem consecutus est, vt ex omni antiquitate cum eius libris de Officiis nihil in doctrina morali comparandum accuratissimis censoribus videatur. \*\* Neque tamen in his etiam tantum naturae lumen fuit, vt ne vbique manca sit, cespitans & incerta haec quoque in secundis notitiis doctrina: Idque cum per se, ex ipsius naturae imbecillitate, tum quod ignoratis idoneis principiis, imo vero falsis etiam surrogatis, nihil solidi exstruere licuit. Hoc indicasse

\* Rom. II. 14. 15.

\*\* I. Barbeyrac dans la préface, sur le Droit de la Nature & des Gens de M. le B. de Pufendorf, traduit: Le Livre de Ciceron est le meilleur Traité de Morale, que nous ait laissé l'antiquité, le plus methodique, & celui, qui approche le plus d'un Systême plein & exact. Et meretur legi vniuersa historia Philosophiae moralis in illa praefatione, qua de singulis grauissime iudicat. Conf. Bernard. Nouv. de la Rep. des Lettres 1706. Avril. p. 369.

casse Paulum credo per illud ἔργον τῷ νόμῳ γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις Ἰθνῶν, siue φύσει τὰ τῷ νόμῳ ποιῆν, cum ipsam illis gentibus legis notitiam deroget, quod non vniuersam & exactam natura legem noisset, verum modo τὰ τῷ νόμῳ, itemque ex ignorato vero fine, forma, mediis ceterisque principiis, non nisi externum quoddam ἔργον τῷ νόμῳ exhiberent.

III. Patet igitur frustra idoneum Philosophiae moralis Systema, extra DEI populum quaeri, siue prisca illa sapientiae praecepta ἀτερ πάσης τῆς συνεχείας vetustissimorum Poëtarum Orphei, Musaei, Lini, Homeri, Hesiodi carminibus comprehensa, & fabulis foedata euoluas: siue mutila VII. Sapientum Graecorum dicta pensites: siue denique seotarum omnium philosophiam excutias. Etsi enim nec originem, nec profunditatem morborum humanae mentis assequerentur, imo nec subiectum ipsum, quoad haec doctrina postulat, satis nossent, vt de mediis emendandi nihil dicam: Tamen largiar quodammodo Ciceroni, *summo Bono constituto in Philosophia, constituta esse omnia: summum autem Bonum si ignoretur, viuendi rationem ignorari necesse esse. Ex quo tantus error consequatur, vt quem in portum se recipiant scire non possint.* \*\* Inde magno studio recenset, non modo quot fuissent adhuc Philosophorum de S. Bono, sed quot omnino possent esse sententiae. Iam & separat Democriti εὐθυμίασιν ἢ ἀνιμι tranquillitatem, cum haec ipsa sit beata vita, quam S. B. confert; & explodit sententias Pyrrhonis, Aristonis, Herilli: & confutat Epicuri voluptatem, quanquam, si Petro Gassendo fides est, qui voluptatem animi ab Epicuro intellectam docet, non nihil iniquius: & improbat Stoicorum honestatem ac vitam naturae conuenientem, quorum quidem disputatio in mera παραδόξα & λεπτολογία exit. † Neque tamen etiam Stagiritae operatio animae rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam †† aut ipse virtutem habitus splendidum summi Boni merentur nomen, quae potius possessionem summi Boni consequuntur. In huius verba & auctoritatem cum iurauissent Scholastici, nec profani Philosophi pauper-

A 3

tas

\*\* L. V. de finibus c. 6. 7. 8. quo quidem libro integro Peripateticorum sententiam proponit & confirmat, sicut Libro I. finium Epicuri doctrinam explicauerat, Libro II. reiectam: & Libro III. Stoicorum argumenta recitauerat, L. IV. confutata.

† Summe Reu. D. J. F. Buddeus, *Analekta Hist. Philos. Exerc. III. ad VI.*

†† Aristoteles L. I. Ethic. Nicom. c. 7.

tas diuinæ huius disciplinae caperet ambitum, Barbeyraci iudicio, opus vndique congestum, confusum & inordinatum corpus, sine certis & fixis principiis, ex Aristotele, iure civili & canonico, Scriptura S. & Patribus eiusmodi inuexerunt, quo mala, bonis quidem mixta, fere dominantur. Id quod recentiores Casuistae infinitis vanis subtilitatibus, monstrosis & abominandis plane de Probabilismo ac Peccato Philosophico erroribus adauxere. \*

IV. Post restitutam lucem Euangelii, Philippus Melanchthon Aristotelem, Luthero alioqui satis inuisum, non nihil tamen castigatum, Germaniæ scholis relinquendum statuit, quibus inde ad nostram ætatem vsque hæc philosophandi ratio satis frequens fuit. Dum vero nimis solliciti naturæ lumen a reuelatione remouendam crediderunt, non potuere non profanis auctoritatibus plus iusto adhaerere, adeoque saltem imperfectam & arctioribus limitibus inclusam Ethicam docere. Vna tantum est veritas, nec alia naturæ; alia coelestis doctrinæ fingenda. Equidem subiungi hanc illi volunt, non opponi, & ordinem in ceteris facile admitto. Sed vna est summa hominis felicitas, vnum summum bonum, vnus idemque miser & sanandus homo: liceat igitur & naturæ & reuelationis medicinam adhibere; sed consentiant medici, ne in maius horum pugna discrimen aegrotum trahat. Et fatentur ipsimet sectatores Peripatetici, illud Stagiritæ bonum non nisi in hemisphaerio politico, summum esse & perfectum. \*\* Sane Philosophus non alio quam ciuilibus doctrinæ orbe suam Ethicam circumscripsit, vt hanc modo vitam sine incommodis & cum felicitatis externo quodam simulacro transigeret. Pietatis nomen prorsus ipsi exulans, vbique virtutibus homileticis locum cedit, vt ad existimationem totum negotium composuisse videatur. Sed hæc fere ad politicam prudentiam pertinent; longe autem ampliori spatio decurrit Ethica, veram summæ & perennis cunctis mortalibus felicitatis viam explicans, in quam & ipsæ naturæ leges digitum intendunt, & vetusta ceterorum Philosophia exemplo ducit, quæ multo latiori campo se diffunderet, quam

\* L. c. add. Groeningii Hist. Iuris Nat. & Gent. §. 17. sq.  
 \*utiones morales Christiano peripateticæ Exerc. 11. p. 19.

\*\* Kiliæ Rudrauffii insti-

(o)

quam Peripatetica in antiquitatem superstitio, angustis illis profanae ignorantiae terminis se continens, auderet.

V. Discrimen Ethicam inter & Theologiam moralem tolli nolo. Differant principio & perfectione. Sed habeant in eodem subiecto eundem quoque finem. Aegrotus idem est, cui sanando ratio quoque fidelem operam, ut ut *παραγωγὴν* saltem, & qualemcunque praeparationem adhibeat. Et hanc diuinitus habemus: *Absit igitur, ut hoc in nobis DEVS oderit, in quo reliquis animantibus excellentiores creauit.* Sed ita statuo: in tanta sui corruptione ratio, sibi relicta, si a mediocri & imperfecta officiorum delineatione discesseris, vix quicquam nisi ineptire potest, certe instar corui Noachici nusquam, vbi tuto pedem figat, inueniet. Loquuntur tot hoc vestigia sectarum, quae quo longius a Praeceptoribus, Pythagora, Socrate, Platone, magna forsan divinae sapientiae traditione adiutis, aetate ac sententiis recesserunt, hoc incertiores nugae vendunt, quibus patienti studio lustratis, tandem Terentianum illud subiicias: *Fecistis probe: multo sum incertior quam ante: nec vnquam idoneum ex iis moralis doctrinae systema compila- veris.* Sacrosancta haec principia: DEVS est: DEVS nos creauit: est ens perfectissimum, *ἀυτάγαθόν*: est summe bonus, ipsumque summum bonum: omnis bonitatis & felicitatis fons & origo: omnia curat, conseruat & gubernat: est colendus, amandus, & quidem non nisi secundum ipsius voluntatem: Adde forsan animae immortalitatem: naturam hominis esse malam: bonorum futuram quandam remunerationem, malorumque supplicia: & huius generis plura, non minus atque inferiora ista: Parentes honorandi: suum cuique tribuendum: temperanter & naturae conuenienter viuendum: humanae rationi sunt inscripta, nec gentibus incredulis prorsus ignorata. At ea mentis obstat caecitas & caligo, ut qui veritates illas in tantis naturae tenebris sine sanctiori lumine inquirant, in profundissimam voraginem demissi, vndique oberrent, & si quid tandem offendisse sibi videantur, nubem pro Iunone arripiant. Etsi enim cum Simonide integrum sibi diem postulauerint deliberandi causa, quid, aut qualis sit DEVS, (id enim

Hic.

\* Augustinus Epist. CCXXVI. ad Consentium.

Hiero tyrannus quaesiverat) postmodum tamen rogati biduum petent, saepiusque numerum dierum duplicabunt: Scilicet quanto diutius considerant, tanto res videtur obscurior: hoc est, Cicerone interprete, quia multa veniunt eis in mentem acuta atque subtilia, dubitantes, quid eorum sit verissimum, desperant omnem veritatem. †

VI. Ita nimirum certissima rationis principia ipsi manent incerta rationi. Ingratus autem fueris in diuinam benignitatem, si residuas illas amissae sapientiae scintillas prorsus negligeres. Pudeat incredulos tanto quondam studio in eiusmodi veritates penetrasse, siue hoc traditioni maiorum, \* siue cum sancto DEI populo commercio, siue denique ipsi S. litterarum lectioni debuerint. Imo vero etiam credibile est, caeco diligentiae fato, aut DEI beneficio vnum alterumue in veritatem incidisse, eamque desperata ceterarum restitutione non sine Φιλαυτίας persuasionem, tanquam certum sapientiae principium supposuisse. Quamquam plures cespitantes cum certiora non haberent, etiam in illa dubitatione placerent sibi, sicut Cato Tullianus, quod si in hoc, inquit, erro, quod animos hominum immortales esse credam: libenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus, ut quidam minuti Philosophi censent, nihil sentiam: non vereor, ne hunc errorem meum mortui Philosophi irrideant. \*\* Pudeat, inquam, nos coelesti circumfusos lumine, non altius penetrare, illaque fluctuantis rationis principia, pulsa caligine, suis obruta cineribus eruere. Ita quidem non committitur, quod aiunt, μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος, cum rationis maneat, quod eius est: saltem quod insuperabili naturae morbo illi emergere suis viribus non licet, recte Christianus Philosophus reuelationis lumen mutuo petit, certumque, firmum & immotum doctrinae fundamentum ponit. Quo facto non his modo, antea obscuris, rationis principiis ἀποδεικτικῶς inniti potest, verum & conclusiones illas, non minus rationi inscriptas, facile tamen naturae imbecillitate obruendas, corrumpendas, coelesti hoc splendore collustratas, citra omnem oppositi formidinem confirmabit.

VII. Et hanc rationem sanam demum dixerim, idoneum Philosophiae

† Cic. de Nat. Deorum L. I. n. 65.

\* Quo refer sermonem Laelii de immortalitate animae ap. Cicer. de Amic. c. IV.

\*\* De Senectute c. 61.



sophiae principium, cum relicta sibi non possit non delirare, & conatu magno magnas nugas agere. Neque vero ea humanae mentis sanitas in hac mortalitate sperari debet, vt quantumuis semel excitata emendataque, dehinc non hebescat, & in illa quoque luce caecutiat. Quare non detrectet, quicquid ex illis aliisque principiis deduxerit, quicquid statuerit, *ἐλεγχόμενον ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεῖσθαι* \* & Scripturae iudicium, tanquam superioris normae & Lydii lapidis, subire, non vt ab illa quidquam petat, quod rationis orbem egreditur, sed ne labendi & errandi periculum verendum habeat. Denique & illud velim, quoniam complures veritates ita in natura perierunt, vt ne vmbra aut leuissima scintilla in ratione restet, etiam ob mutatum statum hominis accesserunt nouae, quibus Philosophia destituta progredi non posset, certe sine lapsu praesentissimo nullum ex principiis mancis deductionis & assertionum nexum inueniret: isti frequentes admodum, & maxime in hac morali doctrina, rationis hiatus non equidem reuelatione immixta, explendi erunt, omnino tamen indicandi, vt intelligant tiro-nes, quid hic deficiat, & quid, si, quae sequuntur, cohaerere velis, huc ex Theologia sit trahendum: eo quidem omnia discrimine, vt statim pateat, quid soli rationi in tanta pauperie atque imbecillitate sit residuum; quid reuelationis iubare ex eius cineribus excitatum ac reductum: quid rursus positis principiis, ratio sua sponte colligat: quid denique connexionis & integritatis causa, tanquam alienum, in reuelatione sit quaerendum.

VIII. Operae pretium sit huius periculum facere in capite de Sanitate mentis humanae & summa hominis felicitate ex illo ipso systemate, cuius mox pluribus mentionem faciemus. Etsi vero Ethices praecipuum subiectum, sanitati restituendum, est voluntas, eius tamen cum intellectu quin & corpore tantus nexus est, vt summa felicitas non tam in voluntate, quam in toto homine, naturae & perfectioni suae restituto, quaerenda videatur: quod vt ex ratione doceri potest, ita, cum in his quoque ob infirmitatem vacillet, ex Scriptura in ordinem cogenda est. Summam felicitatem oriri ex possessione summi boni, & hoc

B

recte

\* Eph. V. 13.

recte dici finem ultimum: Quid porro S. B. fit, & quibus gaudeat proprietatibus, similiaque rationi relinquenda sunt. Sed DEVM esse summum illud Bonum, credo, natura sibi relicta omnibus viribus non assequetur. Nec cuiusquam in mentem venit prisca Philosophi non illuminati, qui hanc veritatem doctrinae suae fundamentum iecerit. Atque adeo remota est a rationis facultate, ut satis diu dubitarint Christiani, illam in Ethicam recipere. Et si enim τὸ γνωστὸν τῆς Θεῆς in omnibus manifestum erat, quanquam hoc ipsum principium, quae est ingenii humani impietas & malitia, contra testem conscientiae, & vniuersa natura reclamante, a quibusdam obfuscatum & negatum sit: nihilo tamen secius ignorabant omnes, qualem habere deceat. \* Legantur Ciceronis disputationes de natura Deorum, & ingenium NESCIRE finis erit. Quam turpiter de Prouidentia diuina sunt commenti, & qui optime sentiebant, cum Timoleonte *nihil rerum humanarum sine deorum numine agi putabant.* Itaque ille domi suae sacellum αὐτομαθίας constituit, idque sanctissime colebat. \*\* Sane vltius non ascenderunt, nisi si, ut supra monitum, Socrates aliquis, aut Plato traditione, vel mutuata reuelatione sunt adiuti. † Quicquid est, nemo tamen eo peruenit, quod maxime supponitur, ut AMORE DEI vero sanitatem sibi restitutum iri credidisset. Colendum forsitan esse agnouerunt & timendum, sed vix amandum. Natura potius horret DEVM & contremiscit: quin si Spiritui S. fides habenda, non potest non odisse. Esto, crediderint, posse DEI ope se sanari, facturum tamen nesciuere. Quicquid sunt conati, ad naturae vires abit, sua sapientia, suo studio, non DEO, sed sibi & suae felicitati efficiendum statuere. Naturae potius conuenien-

\* Cicero L. II. de legibus.

\*\* Nepos XX. IV. 4.

† Plato in Timaeo rationem reddit, quod Diis propiores ac coniunctiores fuerint, quam nos, ideoque rectius omnia perspexerint & sapientius iudicarint: Περὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμόνων εἶπεν, καὶ γινῶναι τὴν γένεσιν. μείζον ἢ καθ' ἡμᾶς, πειστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν, ἐκγόνοις μὲν Θεῶν ἔσιν, ὡς ἔφασαν, σαφῶς δὲ πρὸς καὶ ταῦτα, τὰς τε αὐτῶν προγόνους εἰδόσιν. Ἀδύνατον ἔν Θεῶν παισὶν ἀπιστεῖν, καί περ ἄνευ τοῦ ἐκόλων καὶ ἀναγκαίων ἀποδείξεων λέγασιν, ἀλλ' ὡς οἰκεία φάσκασιν ἀπαγγέλλειν, ἕπομένους τῷ νόμῳ, πισευτέον.

nientiam, & ius humanitatis aut societatis, officiorum fundamentum habent, aut quicquid aliud, quam amorem DEI. Nec mentis immortalitatem, multo minus futuram quandam vitam perspexere. Quibus omnibus innititur haec veritas: DEVM esse summum bonum.

IX. Neque tamen ratio ob hanc imbecillitatem deserenda, quin iuuanda potius, excitanda & in tuto collocanda. Alioqui frustra summum bonum in Ethica quaesieris, & quicquid constitueris, ad profanam potius simulationem, quam veram sanitatem redibit. Ratio autem non amplius praefracta, sed moderata, facile aequitatem eiusmodi principiorum admittet, ex quibus DEI erga nos bonitas, perfectio, & quae creationis iure ipsi competunt, & mentis immortalitas, & futura vita, adeoque AMORIS erga DEVM aequitas recte demonstratur: quae quod cum reuelatione consentire, aliunde constat, immotum reliquorum fundamentum erunt. Hoc ergo summum Bonum si possideamus, hoc est, illo perfecte frui liceat, summam reddet homini felicitatem. Intellectus summam ex cognitione DEI delectationem percipiet, voluntas in sanctissimo & castissimo amore DEI omnem tranquillitatem inueniet, facultates ceterae sponte sequentur, quin fieri non potest, quo minus ipsum mentis organon ad perfectionem redeat, & quae extrinsecus afflixere hominem, ab isthac felicitate procul cedant. \* Illud

B 2

porro

( Nihil moramur doctissimum *Iacobum Bernardum*, cui frustra S. B. hominis in hac vita proponi videtur, quod nemo illud assequatur, sed piis modo in altera coelesti vita contingat: Ita enim ille mense *Martio 1704. dans les Nouvelles de la Rep. des Lett. p. 334.* Il me semble, que toute la Morale, pourroit être reduite commodément à trois Parties. On pourroit faire voir dans la première, que dans l'état où l'homme se trouve sur la Terre, il n'y a point de Souverain bien destiné pour lui durant cette vie, qu'il n'en peut, ni n'en doit attendre aucun, mais qu'il y en a un après cette vie auquel il peut prétendre. Car, enfin, il me semble, que c'est en user en Charlatan, que de parler de Souverain bien dans cette vie à l'homme pecheur & mortel, & de lui faire espérer la félicité pendant qu'il sera ici bas. Altera parte ostendi vult, hominis felicitatem in hac vita esse, si eo statu viuat, vt certe sibi polliceri queat, summam illam post hanc vitam felicitatem, & denique regulas prudentiae adiici vult. Concludit tandem: Car je crois fort inutile de l'homme considère dans l'état de la pure nature, ou dans des certaines idées abstraites, qui d'ordinaire tout-à-fait infructueuses, parce qu'il n'y a point d'original auquel, elles répondent. Nobis verè

e Sacris

porro hinc intelligitur, hoc summo Bono neglecto, aut non inuento, homines summam non modo vndique calamitatem & miseriam circumstare; sed etiam supposita iustitia diuina & mentis immortalitate, non potest non colligere, suae impietatis & malitiae conscientia, grauissimas (quas ex aequitate illa supra postulata facile aeternas demonstrauero) poenas & supplicia subeunda esse. Iam si paucis modo, quid ad perfectam illam cognitionem essentiae & naturae, tum etiam infinitae bonitatis, iustitiae, operum DEI pertineat: quantum & qualem amorem requirat ipse; tum facile, etiamsi intra rationis limitem persistat, atque remedia & officia modo naturae cognita pensauerit, & cum Simonide ante memorato de cognoscendo DEO desperabit, & cum Stoicis nullum vnquam vere sapientem inueniri fatebitur: qui si saniozem habuissent Philosophiam, suam perpetuam hypocrisin & virtutis simulacra, \* atque vt quisque se sapientissimum credidit, ita *Φιλαυτίας* morbo turpissime foetentem animaduertissent.

X. Hic nisi labi velit ratio, subsistat necesse est, & ab illa de se desperatione *παιδαγωγικῶς* ad lumen clarius & reuelationem quaerendam compellatur: vbi quidem auctis ex lege terroribus, in Euangelio tandem veram & vnicam ad summam felicitatem, & illud summum bonum obtinendi viam deprehendet: quae est in Redemptorem FIDES. Hanc vniuersam viam penitus ignorat ratio, nec vlllo colore ad Philosophiam trahi potest. Magnus, fateor, hiatus, sed omnino admittendus, nisi profanam quandam sapientiam & inanem virtutis persuasionem reductam velis, aut contra, magno fanaticismi periculo, humanae voluntati summi boni possessionem, atque verae felicitatis viam, quam Theologi iustificationem & salutem vocant, tribuas. Sed inuenta illa via,

e Sacris litteris manifestum est, omnino posse hominem in hac vita DEO frui, adeoque cum S. B. vniri, & summam felicitatem in hac vita inchoari, in altera consummari. Nec consideratur homo in statu naturae purae, nec ad inutiles & abstractas ideas reiciendum erat, docere, non quid possit, sed quid debeat homo facere, vt sic profunditate miseriae agnita, *παιδαγωγίαν* ad reuelationem habeat, & inuento S. B. a norma perfectissima ipsius officia dirigantur.

\* *C.c. Off. L. I. c. XV.* Viuitur non cum perfectis hominibus, pleneque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt *simulacra virtutis*. *Conf. de Amicit. c. II.*

via, cum summo Bono, DEO, sic vnitus homo, quoad vixerit, in sanandis cum intellectu, tum voluntatis morbis, & reddenda menti perfectione, ipsaque cum DEO *ὁμολογία* recuperanda laborabit. Et tuto quidem etiam rationis dictamen in pensitandis remediis ac suis officiis adhibebit in subsidium, quae practicae Philosophiae pars nunc demum & rectius & felicius explicabitur, cum ante sublimiorem istam restaurationem & S.B. possessionem non alius huius partis vsus esset, quam modo ad augendam istam de se desperationem, & iuuandam *παιδαγωγία*, vel ad externam qualemcunque disciplinam in orbe conseruandam, quae quidem ex parte ipsius hominis in meram hypocrisin atque vanam deceptionem abit, verae mentis felicitati sanitatique plus nocentem, quam utilem aut commendandam.

XI. Sed redeundum, vnde sum digressus, vt, quando nihil fere sani a profana antiquitate expectandum est, sanctiores hic pulsemus fores. Populus DEI sub priori foedere verissimam quidem moralis doctrinae sapientiam habuit, quae, Prophetiae dono deficiente, sensim multis & ineptis Rabbiorum placitis est reformata, sed a Christo, perfectissimo Doctore, restituta & prorsus consummata. Ab Apostolis patribus est tradita, qui, prout alii aliud paganae Philosophiae systema secum attulerunt, illud ex S. litteris non pari semper felicitate emendare ac perficere conati sunt, id quod grauiorum saepe praeiudiciorum causa fuit atque origo: donec tandem in meras ignorantiae tenebras coetus Christianus illapsus, cum Scholasticorum nugis luctari coepit. At renatis ante duo secula litteris, etiam in hac doctrinae parte diuersi diuersorum conatus extitere. De Peripateticis ante, & qui ab his discesserunt, vere speculationibus, aut mysticae theosophiae immorati sunt. Renatus Cartesius circa medium superioris seculi vt in Mechanismo omnem philosophiae suae rationem posuit, ita illi moralem quoque doctrinam attemperauit. Corpus ipsi machina est, cuius vita & sensus ab eius motu pendeant. Atque ab hoc motu affici credit mentem, cuius esse in cogitatione consistit: quicquid igitur haec substantia cogitans optimum iudicauerit, illud praestandum firmo proposito & voluntate constituit. Et in hoc recto mentis vsu quaerit summum Bonum. Iam & passiones men-

tis habet, si motus corporei mentis cogitationi rectae contrarientur, quibus opponenda generositas quaedam, cohibens peruersos motus, ne succumbente cogitatione, homo sua, qua bestias antecellit, dignitate, excidat. Sed ut ut mechanismus ille suum quendam usum & laudem habeat, dudum tamen a doctis viris obseruatum est, iusto illum latius extendi, ut ad Benedicti Spinosae Naturalismum viam pandat, cuius impietate ceteri intellecta, iisdem principiis cum Petro Poireto in Fanaticismi voraginem declinauere.

XII. Haetenus igitur nouum plane, & a prioribus diuersum moralis doctrinae systema obtinuit, quod longe perfectius, accuratius & religione Christiana dignius plerisque visum. Etsi enim praecipuus illius auctor iam pridem fanaticarum opinionum suspectus erat, & in his ipsis libris \* multa se offerebant, quae manifesto a verbo DEI abhorrent; tamen cum adhuc principia laterent, quibus hanc Philosophiam inniti voluit, facile viris bonis imposuit, ut resectis paradoxo ingenii spinis, speciosum systema etiam castae & sanioris Philosophiae studiosis inseruiret, tanto magis, quo accommodatius ad honestae vitae usum, & conspirare cum Scriptura, ad quam roties prouocatum, videbatur. Vnde certatim illud viri boni susceperunt, commendarunt, exornarunt, praesertim cum VIR QUIDAM summus scorias eiecisse, atque a periculo impingendi in coelestem veritatem liberasse crederetur. Emendatum hoc systema eo redit, ut primum Ethices subiectum explicet, HOMINEM, duarum, vel secundum recentiorem editionem, si lubeat, trium partium. Mentis facultates habet puras: intellectum & voluntatem: mixtas, phantasiam, appetitum sensitium & memoriam sensualem, per alteram hypothesein, mediae parti tribuendas. Corpori subiungit res extra hominem positas, ad mores aliquid conferentes. Huius subiecti, praesertim voluntatis, morbos inde detegit: quos excipit Finis Ethicae, SUMMUM BONUM, DEVS, ex cuius possessione summa humanae mentis felicitas accurate deriuatur. Subiiciuntur signa propensionum humanarum, & tandem REMEDIA

\* Von der Kunst vernünftig zu lieben / oder Einleitung zur Sitten-Lehre. It. Urgründen wider die unvernünftige Liebe / oder Ausübung der Sitten-Lehre: Nuper etiam in Latinum conuersa.

mor-

morborem, quae ut ut ex natura non sufficere patet, tamen aliquid conferre ad quaerendam reuelationem, vera demum media ostensuram egregie docet. OFFICIA hominis altera parte magna cum dexteritate & iudicio persequitur, ut omnino systema ipsum & nostram laudem superet, & bonorum omnium applausum meruerit. Absit igitur, ut quicquam ei derogemus, aut carpendi & fugillandi studio VIRVM, cuius magna semper fuit apud nos auctoritas, atque adhuc amplissima in Ecclesiam & elegantiores litteras merita omni veneratione digna extant, laceffere conemur. Quin futurum confidimus, ut VIR summus, qui eruditione solida, candidissimo veritatis studio & prudenti modestia doctorum vulgus multo antecellit, hanc bonis litteris humanitatem & liberali Philosophiae veniam concedat, qua ipso non inuito, & illibata tanti nominis existimatione, in nostrorum usum profiteri liceat, quae priuatis lectionibus sparsim differenda veritatis inuestigationi conducere arbitratus sum. Et si quid grauius asseruero, ad primum potius auctorem id pertinere volo, cum abunde & ex hoc ipso libro, & ex aliis viri scriptis constet, cetera alienum esse a somniis Thomasiis, & διαρρηδνν improbare fanaticum illius spiritum, cui vere totum hoc systema innititur. Quod si tamen alicubi liberalius cum eius sententiis egisse videbitur, maxime quod tertiam illam hominis partem ex astris forte ducendam, in iterata libri editione, quibus ita placeret, supponendam concessit: non tam ex sua sententia, quam philosophica facilitate in gratiam amici & Collegae, cuius placita fere in Academia regnabant, praesertim cum systema illud facilius ex hac hypothese explicaretur, loqui censendus est: quae quidem facilitas ingenuus veritatis amor in studio Theologico ἀποδείξει Scripturae atque analogiae fidei sponte concedet. Quin ut ingenue fatear, quod ex animo sentio, si Pneumatosophus suos spiritus, corporum motores, prius prodidisset, pauciores hypotheseos Patronos inuenisset.

XIII. Quae igitur de morbis humanae voluntatis, & inde oriundis affectibus traduntur, sunt illud caput, in quo haeremus, & de cuius inuentione primus ille auctor sibi maxime gratulatur. Mittimus huius somnia, modeste pensitantes, quam emendationem haecenus ad-

mise.

miserint. Praemissis intellectus morbis, voluntatis miseria examina-  
 tur. Non incommode *peruersus amor sui & φιλαυτία morbus unicus & cete-*  
*rorum fons* asseritur. „Etsi enim amor sui nihil aliud sit, quam appeti-  
 tus se conseruandi & perficiendi, hominibus a creatore inditus, quin  
 omnium actionum humanarum fons & scaturigo, adeoque in se &  
 abstracto bonus; cum tamen circulos a DEO praescriptos turbet, nec  
 in bonum verum feratur, omnium hominum non emendatorum *φι-*  
*λαυτίαν* esse vitiosam docet. Causam huius mali ignorari a Philoso-  
 pho, haberi autem ex reuelatione connotam illam omnibus homini-  
 bus labem, quam peccatum originale in scholis vocant. Hanc vero  
 ad mala propensionem corporis constitutione & temperamento deter-  
 minari partim ad certam boni apparentis speciem, partim etiam augeri  
 & magis inexpugnabilem reddi. Porro educationem & consuetudi-  
 nem, aliorumque hominum mores & occasionem & alimenta submini-  
 strare propensionibus, easdemque mirifice roborare. Intellectus quo-  
 que praeeudicia & errores practicos, cum primis auctoritatis praeeiu-  
 dicitium inter philautiae & morborum causas suum sibi vindicare lo-  
 cum. Iam hunc amorem prauum in vitia fere infinita abire, posse ta-  
 men malas, quae hinc oriuntur, propensiones ad tres praecipuas per-  
 uersas inclinationes reuocari, *carnem siue voluptatis desiderium, mundum h.*  
*e. gloriae & honoris cupiditatem, & diabolum, h. e. pertinaciam, aut auaritiam.*  
 Fundamenta huius distributionis constituit (1) bona apparentia, quae  
 omnia ad tres classes diuitias, honores & iucunda, voluptatem exci-  
 tantia, referri posse credit, (2) tria temperamenta, sanguineum,  
 cholericum, melancholicum; phlegmaticum enim peculiarem pro-  
 pensionem per se non producere. (3) Omnia vitia & morbos ad vnam  
 ex hisce propensionibus referri posse. Inde sigillatim recenset singu-  
 larum propensionum indolem, & inde fluentia vitia, ratione honesti,  
 decori, iudicii, ingenii & affectuum; quae si cetera stant suo talo,  
 praeclarae omnia moentur.

XIV. At enim saluo summi viri iudicio & auctoritate, quem omni-  
 no haec non spectasse, sed sana omnia supposuisse, nec eiusmodi, si  
 fundamentum habent, incommoda sententiae admissurum credo, li-  
 ceat

ceat



ceat fateri, quod vereor; totam scilicet illius systematis structuram, aut quodam *uniuersi huius spiritu*, aut, qui eodem redeunt, *spiritibus Thomasi- nis, masculino luce, feminino aëre* contineri, formamque inde & vitam ac- cepisse. *Solum corpus* huius Ethicae subiectum est, nequaquam mens, diuinus ille spiritus, plane bonus, qui nihil ad miseriam hominis facit, quin prauis corporis propensionibus semper repugnat. Illusit ergo doctis in doctrina morali, qua *hominem duabus partibus constare docet*. Ni- mirum separata mente, corpus in duas partes diuidit, *Spiritum & Ma- teriam*. \* Hic spiritus cernitur, auditur, palpatur, ex duobus spiritibus, „subtiliore, luce, & maiori parte crassioris spiritus, aëris, compositus: „Extensus & spatium complens, vt alter alterum penetret: sedet in cen- „tro, ex quo virtutem emittit: idem in lapidibus, plantis, bestiis, ho- „minibus: in omnibus aequè sentit, attrahit, expandit, intelligit, „vult; in apibus & araneis longe perfectius intelligit, quam in homi- „ne: diuisus in tria centra corporis animalis, secundum tres ventres, „cerebrum, cor, ventriculum, in hoc nutrit, in illo vult, in isto intel- „ligit. COR tanquam medium, centrum primum est, sedes nimi- „rum sanguinis, in quo vita & affectus bestiales (*Thierische Begierden*) „resident. Vnde cor siue voluntas cerebri imaginationi imperat, „nec intellectus voluntatem, sed haec illum corrumpit. Porro intelle- „ctus duae facultates sunt, sensualitas & ratio. Sensualitates externae „(*Sinnlichkeiten*) contingunt cerebrum & cor, eaque mouent. Vo- „luntatis operatio in corde incipit, sed extra cor in omnes partes corpo- „ris, adeoque & cerebrum se extendit. Intellectus operationes solo „cerebro terminantur, itaque ille nihil in voluntatem operari potest. „Non igitur fons & initium actionis est ab intellectu, sed a voluntate: „vt adeo in sola voluntate FORMA hominis consistat, cum ibi princi- „pium operans sedeat: Forma autem dat operari. Intellectus volun- „tatis instrumentum passiuum est, vt malleus fabrorum. Adeoque „intellectus nihil distinguit, sed voluntatum diuersitas reddit diuersas „hominum species. Conueniunt genere, quod nec DEVM, nec ho- „minem recte ament; differunt specie, quod alii voluptatem, hono-

\* Versuch vom Wesen des Geistes / C. IV. Th. 13. Hieraus folgt / daß alle Körper aus Geist und Materie bestehen müssen. Conf. c. VII. th. 10. 13. 27. seq

„res alii, alii diuitias ament. Inde consequitur, hanc animam hominis  
 „longe stolidiorem quam in bestiis esse, ipsum hominem omnium mi-  
 „serimum animal. Elicit hinc pugnantem & peruersam trinitatem  
 „unitam, \* tres furias poëtarum, s. mundum, diabolum, carnem.  
 „Aduersus hanc malam trinitatem pugnat alius tertius & bonus spiri-  
 „tus, qui in homine excitat desiderium amandi Deum, studium diuinæ  
 „voluntatis & suæ salutis, quæ tria sunt vnum: Et hoc desiderium  
 „est vera precatio, quod si obtineat, oritur vnio cum DEO, nouus ho-  
 „mo, specie diuersus a prioribus, propter principium plane nouum. Est  
 „trinitas in vnitate DEVS, Christus & Spiritus S. i. e. verus hominum  
 „amor, humilitas, castitas, quæ Trinitas in Scriptura malæ trinitati  
 „opponitur: DEVS mundo, Christus Beliali, Spiritus carni. Mori-  
 „ente homine, Spiritus naturalis vnitur cum Spiritu vniuersali, sedente  
 „in centro terræ: Spiritus DEI redit ad DEVM.

XV. Hoc fundamentum Ethicæ Thomasiæ, equidem non  
 plane nouum, sed ex *Platonismo* repetitum. Videas ibi animam mun-  
 di. Tria principia: DEVM, materiam atque ideam. Tres hominis  
 partes: mentem, spiritum, corpus, quare & nuper Platoniorum  
 mors Philosophica disputatione Lipsiensi egregie ad hypothesin illam  
 est accommodata. Platonica quidem inuenta, magnam primis post  
 Christum natum seculis auctoritatem consecuta, patribus quibusdam  
 & maxime Iudæis admodum in deliciis fuerunt. Et manifestum est,  
 quicquid sani adhuc horum Cabbala habuit, in mera per Platoni-  
 smum deliria conuersum esse. Omnino quippe verosimile credo, inno-  
 centem esse Cabbalæ originem, & fuisse sanctorum Doctorum in po-  
 pulo DEI explicationes typorum, ceremoniarum & prophetiarum de  
 regno Christi, nec tamen quicquam extra Scripturam, sed præcipue  
 proprietates Messiae, oracula & mysteria oeconomiae diuinæ ex Mose,  
 Psalmis & Prophetis collecta, & veluti memoriale quoddam, in systema  
 aut compendium positivæ Theologiae Messianæ docendi causa rela-  
 tum, non secus, atque a Patribus & nostris Doctoribus ex Scriptura li-  
 belli

\* C. VII. Th. 187. In iedem Menschen eine widerwärtige Drenheit das Hertz besitzet/  
 die doch darinnen vereiniget ist/ wie sie den Menschen ruinire und unglücklich  
 mache.

belli Catechetici, Compendia, Breuiculi, Nuclei, Memorialia, Epitomae, componuntur. Et credibile est, primis temporibus non fuisse litteris consignata, sed ore tradita, velut explicationes Scripturae ex Scriptura: vnde nomen Cabbalae ortum habet, vt γεγραμμαιῖς isti in N. T. veri Cabbalistsae fuerint. Sed destructa Synagoga, & templo euerso, cum in tanta gentis διασπορᾷ memoriae humanae metuerent, visum Doctoribus, Criticam Theologiam in Masora, ritualem & historicam in Talmude, theticam & Messianam in Cabbala custodire. In illis litteram habebant, huic spiritus inferendus. Atqui verum Spiritum occiso Messia amiserant, cui πνεῦμα κατανύξεως successit, caligo, tenebrae. Interim diuinam dixerunt & θεόπνευστον. Cum enim prisci illi mediatam ex Scriptura doctrinae θεόπνευσίαν recte laudassent, hanc recentiores coeco Rabbinorum amori & auctoritati consecrarunt. Patet hinc, quid sani, quid veri a Spiritu infano proficisci potuerit, cum praecipue Philosophiam, & fanaticam quidem cum illa oeconomia, Messiana, vt vt indies magis odio Christianorum corrumpenda, h. e. Belialem cum Christo componerent. Quid mirum vero in tanta impietatis caligine quaedam, sed corruptissima veritatis Euangelicae testimonia apparere. Talmudis, tanquam litterae ritualis, testimoniis longe inferiora. Nec dixerim Christum aut Apostolos quicquam ex Cabbala petiisse, sed more Doctorum veterum ex Scriptura, quae & vbique de regno, potentia, gloria aeterna Messiae perspicuis oraculis testatur. Vera igitur Messiana Cabbala, siue explicatio Scripturae de Christo est Nouum Testamentum, in quo ἀνακαλυμμένῳ προσώπῳ δόξα κυρίου κατοπτρίζεται, cui spiritus confusus Iudaeorum, quorum corda Moysis illud κάλυμμα excaecat, hoc mysterium iniquitatis opposuit, vt rectius Platonis deliria, quam Christi mysteria ibi quaeras. Quibus tamen temporis & operae pretium videtur, si quid non coactum & tortum inueniant, quod cum N. T. concordet in explicandis & accommodandis Prophetarum oraculis, recte illa erepta hostibus veritatis tela in ipsos confundendos torqueri posse statuo.

XVI. Interim haec vana θεόπνευσίας gloria Platonicae Philosophiae tantam conciliauit auctoritatem, vt iam dudum mysticam theo-

sophiam quandam in Ecclesiam inuexerit, in qua cum somniare laus esset, quasi omnia coelestem Spiritum auctorem haberent, discolor illud monstrum tandem pro cuiusque figmentis natum est. Symbolam adiecere Robertus a Fluctibus, Valentinus Weigelius, Iacobus Boehmius, Quirinus Kublmannus, Io. Baptista & Franciscus Helmontii, pater & filius, Thomas Campanella, Henricus Morus, Petrus Poiretus, quorum principiis insistens Vir cetera doctissimus, hunc partum graui in dissentientes censura edidit, tanto plus sectatorum nactus, quanto secretius principia habuit, donec Philosophia his instructa vndique reciperetur. Quae enim de affectionibus & propensionibus humanae mentis habet, non contemnendam prae se ferunt speciem, imo conformitatem quandam cum doctrina moralis optimorum Doctorum ipsiusque Scripturae: scoriae quippe, ut dixi, facile discernebantur. Sunt tres praecipuae propensiones, ex quibus grauiora vitia pullulant, quorum turpitudine in oculos omnium incidit. Cetera aut non ita sunt manifesta, aut his tribus ab auctore immiscentur, ut nihil omisisse videatur. Adeoque verissima, ac docendae Ethicae peraccommodata ex principiis prauis deduxit, quibus examinandis & confutandis, cum hoc ab aliis, qui hunc Naturalismum, Deismum & Fanaticismum profligarunt, abunde factum sit, nec nostri instituti, non immoramur.

XVII. Nobis propositum dispicere, num repudiato spiritu Thomasio, systema eius doctrinae moralis emendari & retineri possit. Et primum quidem VIR summus, ab illo spiritu alienus, principiorum nexu tamen ita conuictus videtur, ut contra sententiam suam orthodoxam prioris editionis, qua non nisi duas hominis partes admisit, iam pronunciet: *Nec dissentire videntur, qui tres hominis partes constituunt: cum media, quocunque demum nomine vocetur, seu materialis, ad ipsum corpus haud incommode referri possit.* Quasi iam perspexerit, non posse facile Thomasianam de morbis humanae voluntatis sententiam citra istum spiritum explicari. Vnde & in iterata editione saepius ostendere conatur, quicquid de duabus partibus hominis docuerit, posse ad tertium illum spiritum simul applicari: Imo aliquando ita ad hunc spiritum declinat, ut non abnuat, posse ex eo pleraque, quae hic occurrunt, phaenomena explicari: *nibilo*

nibilo

nihilominus nec illorum sententia, qui ex mentis corporisue commercio cuncta derivant, abhorre ab omni VEROSIMILITVDINIS SPECIE videtur.

Etsi vero omnia secundam hanc postremam sententiam explicantur, tamen pleraque distinctum illum corporis spiritum, hypotheseos necessitate supponere, aut supponendum requirere existimo. Quomodo intelligamus appetitum sensitivum? Voluntas utitur motibus corporeis, agitque appetendo aut auersando aliquid, quod sensibus gratum aut ingratum est: sed saepius patitur, ita quidem, ut velut invita a motibus corporeis stimuletur. Iam vnde illi corporei motus? Vnde grata & ingrata sensibus perceptio? Vnde motuum corporeorum vis, quae inuitam voluntatem stimulet? Credo a principio tertio, quod citra mentis operam corpori vitam & motus tribuit. Quomodo, nisi ita, intelligam locutionem: ab obiectis in sensus incurrentibus, vel ab ipsa phantasia motus quosdam, ope spirituum animalium, excitari, quos motus mens sentiat, qui & huius commotionem praecedant, & voluntatem in suas partes rapiant? Nec capio, quomodo malae propensiones, a motibus corporeis excitatae, distinguantur a propensionibus e peccato originali prouenientibus. Putaram enim omnes motus peccaminosos huius malo tribuendos, nec alium peccatorum fontem nominare possum. Corpus cum mente huius labis subiectum est.

XVIII. Ita vero per illos motus corporeos tota affectuum generatio explicatur, ut obiectum aliquod, affectum excitare aptum, sensibus excipitur, statimque spiritus animales agitentur, seque in cerebrum recipiant, mentem velut de rei nouitate certiores reddaturi. His motibus corporeis voluntatem sollicitam, facile obtemperare: qui primus gradus affectuum dicitur propensio. Iam si voluntas id, ad quod a motu corporis impellitur, approbat, & cum illo motu consentit, oritur *συναισθησις*, alter gradus; quem sequitur *ὀρεξις*, quando voluntas citato cursu in praecipitia ruit, spretoque rationis dictamine, vehementer cupit, ad quae per corporis motus abripitur. Et haec *ὀρεξις* vel ideo reiicitur, quod affectus nulli conceduntur, nisi a corporeis motibus excitati, hoc est semper malis, per honores, opes & obiecta voluntatis, ut ut alioqui discedatur a Thomasio, & affectibus sua utilitas relinquatur. Quantum vero ad illam toties inculcatam spirituum ani-

malium agitationem, ex *vita sensuali* explicatur, dum haec *consistat in facultate locomotiva spirituum animalium*; id quod, credo, ex asserto *sanguinis motu automatico* deriuatur: Hic vero ex Mechanismo Cartesiano recipi videtur, qui nisi in Spinofismum & Naturalismum descendas, num citra Spiritum vniuersalem se tueri queat, alii dispiciant.

XIX. Iam in ipsis humanae mentis morbis manifestandis longe saniora Thomasio sequitur. Cum enim hic ex intellectu merum voluntatis corporeae (liceat ita vocare, vt distinguatur a Spiritu bono, qui ad istam voluntatem plane nihil tribuit,) instrumentum constituat, & in hac formam hominis ponat, non potuit non istud grande, & fanaticorum gregi acceptissimum praeiudicium, tot certaminum haecenus originem, instillare aut obtrudere: Nimirum voluntatem prius emendandam esse, & post hanc, ex & ab hac demum intellectum. Qui enim aliter poterat, si voluntas forma est, & intellectus instrumentum. Prouocatur ad cuiusque sensum & propriam experientiam, satis crassa quidem & corporea Philosophia. Sentimus certe in cerebro intellectus quandam operationem, sunt enim organa sensuum in capite, a quibus nerui in cerebro congregantur: etiam in cerebro mens, illorum operuorum, imagines obiecti cuiuscunque per sensus illati format, & sic per phantasia ipsa percipit, iudicat & ratiocinatur: quin easdem imagines in cerebro a mente conseruari, & ex eo reuocari, itidem sentimus: Sentimus etiam, quando mens aliquid vehementer appetit, aut vult, sanguinis commotionem aliquam in corde, non quod ibi voluntas lateat, sed quod effectus appetitionis sit ille sanguinis motus, qui in corde tanto magis sentitur, quo maior ibi sanguinis vis, tanquam in primario circuli sanguinis organo. Quod si vero ille appetitus aut auersio adhuc concitator fiat, annon etiam in aliis corporis partibus pro sanguinis mensura illa commotio sentitur, vt adeo nonnunquam in ipsam faciem ille motus retrogrediatur, & rubore cupiditatis indicem se gerat? Quis vero dixerit in facie, pectore, manibus, pedibus sedere voluntatem, quod ibi sanguinis ille motus percipitur.

XX. Sanguis praecipuum vitalitatis, & omnium operationum mentis per corpus instrumentum est. Ipsam cerebri substantiam e me-  
ris

ris vasis sanguiferis diuersimode combinatis contextam esse, quorum extremitates protractae fibris, siue tractibus medullaribus respondere videantur, naturae curiosis obseruatum est. \* Vnde consequitur, quemadmodum mens corpus vegetat per illum circulum sanguinis, ita per eundem in organis sensuum operatur, qui excitatus modus in phantasia & appetitu continuatur. Cum igitur illa adhuc in cerebro, quo sensuum organa primum se recipiunt, fiat & percipiatur, nec sit nisi primus & lenior particularum sanguinearum, externis ab obiecto sensuum, particulis excitatarum, motus, adeoque velut initium illius nobilissimi motus sensitiui, videtur etiam perceptio intellectus ibi fieri. Iam si mens perceptae imaginis aut obiecti bonitatem satis intelligit, & sibi proficuum iudicat, tum hanc imaginem aut obiectum ulterius persequitur, fouet, illo delectatur, appetere & amare incipit: itaque & inchoatum sanguinis in cerebro motum continuat, & pro gradu appetitus diutius fortiusque vrget: inde quidem sanguis omnino magis concitatur, donec veluti in sanguinis confluentem motus penetret, imo pro vehementiori concitatione, inde ad alia quoque sanguine repleta membra, & quasi ad sanguinei fluminis extremitates progrediatur. Quod si contra obiectum sensus & phantasia tangat, nec vero mens illius bonitatem satis percipiat, tum motus lenior & inchoatus leuitate sua perit, nec in corde quicquam commouetur.

XXI. Differant ergo organa & effectus operationum mentis ab ipso intellectu & voluntate. Nondum probatum est, has mentis potentias realiter distinctas esse. Gradus mentis operantis forsan sunt, eadem mens intelligit, eadem vult. Rem pro gradu perceptionis penitus percipere, h. e. appetere laborat, vt ipsa voluntas sit continuatio & incrementum perceptionis: vnde ipsum *ἐπιθυμῆν ἀπὸ τοῦ θυμῶ*, quasi modo maior mentis actiuatio. Vbi vero sedeat mens, vix determinare licet. Illud quidem plane non cohaeret; in corde sentitur maximus sanguinis motus, ergo ibi locus mentis. Fonti adsistens, si in prima eius extremitate aquam moueo, circulus quisque remotissimus erit vehementissimus & maxime sensibilis: nemo vero inde collegerit, in me-

dio

\* Ridleyus ex Leewenhoekii obseruatione in *Actis Erudit.* 1696. p. 203. & Frider. Royschius *Epistolis anatomicis* in *Actis Er.* 1699. p. 516.

dio, aut altera extremitate, ob vehementiorem sensum, motorem esse collocandum. Crediderim potius ibi, vbi fit initium motus, qui etiam in fonte, aqua leuius tacta, nec repetitus, statim euanescit, cum aliqui ex primo & vno puncto tota superficies commoueatur. Ita sane verosimilitudinem habet, Principem & rectorem humani corporis stare in principio illorum motuum, quos solus inchoat, persequitur & dirigit. Proximos ergo apparitores & veluti intimiores ministros habet sensus, qui omnia ad regiam deferunt. Fit autem illud in cerebro, vbi mens ope neruorum ab omnibus membris affici, quaeque a deo geruntur in corpore, cuius dominatum tenet, sublimis contueri, & inde motum sanguinis, ad obeunda in singulis organis munia, iusto circulo dirigere potest.

XXII. Quibus ita suppositis, sponte ruit famosa hypothesis de dominio voluntatis in intellectum, & illa necessario prius emendanda. Nul- lum alterutrius in alterum dominium, sed eadem eiusdem dignitatis men- tis operatio est. Intellectus inchoat, voluntas persequitur & exequitur. Quod si mens, quae recte aliquid & bonum sibi esse intellexit, amare incipit, tum sane crescit etiam desiderium, eandem rem penitus intelli- gendi. Non vero hoc voluntatis est imperium in intellectum, sed po- tius mentis in externa sensuum organa ad vltius & rectius percipien- dum. Propensiones mentis volentis s. voluntatis omnino impediunt perceptionem rectam, cum mens secundum illas iudicet. Nec tamen possunt propensiones istae corrigi, nisi per media perceptionis, organa menti proposita, vt verum bonum intelligat & amet. Quod per prae- cepta rationis fit ad efficienda virtutis simulacra; Verbo DEI autem per illuminationem & regenerationem ad veram sanctificationem. Et Vi- rum summum eadem nobiscum sentire, abunde video, qui hunc in- tellectus & voluntatis ordinem probe obseruat & explicat. Interim annon hypothesis Thomafiana *de motibus corporeis, mentem praecedentibus, & in mentem operantibus*: illud voluntatis in intellectum imperium: voluntate emen- data etiam intellectum emendari & corrigi: Praeiuudiciis per voluntatis emenda- tionem rectissime obuiam iri: qua non praemissa, frustra sint, qui exuenda praeiu- dicia, falsas notiones, quae animo sedent, eiciendas, magna voce clamitent: an- non

non



non inquam corporis ille spiritus haec inuitae veritati extorserit, & Fanaticis in hac quaestione ad Viri optimi consensum prouocandi, citra eius mentem, occasionem dederit, alii iudicent. Credo enim in hoc omnes recte sentientes conuenire, quod emendata voluntate, intellectus iam quoque sit sanatus: quod tum voluntatis peruersae propensiones intellectum minus impediant, nec rectum amplius iudicium cohibeant: quod vtriusque facultatis emendatio per vices fiat, nec perfecta intellectus sanitas speranda sit, nisi successiue illuminationem sequatur, regeneratione semel facta, renouatio: quod itaque post inchoatam renouationem quotidie perficiendus sit intellectus, & ex eo voluntas. Sed illud disputari puto: num intellectus plane veritatem nullam possit percipere, nisi illa statim in voluntatem penetret? Imo, num in voluntate, vt ita dicam, vllum punctum emendari possit, nisi in eodem puncto prius intellectus sanatus fuerit? atque adeo necesse non sit, vt omnis voluntatis medela per intellectum eo veniat? Et hoc negatur, negari etiam a summo Viro arbitror; Sed hoc ipsum quaerit apud eum Langius Berolinensis, aliique.

XXIII. Quae de *intellectus morbis* pereleganter & accurate docet, hic itidem suppono. Saltim illud fateor, me non satis combinare posse, quomodo *PER SE* intellectus illis morbis, ignorantia, errore & defectu per omnes operationes, laboret; & tamen intelligentia siue intellectus purus omnibus idem sit, & differentia ingeniorum, & iudicii non aliunde arcessenda sit, quam ex corporis & organorum dispositione. Etsi enim non negauerim, vt iam ante differuimus, mentem cum ad intellectum, tum voluntatem adhibere organa corporea: concedendae tamen sunt omnino facultates mentis purae, intellectus & voluntas. Quas vt vt obscuras profiteatur, & de iis subdubitet; eo tamen vsque admitat necesse erit, donec certiores spiritus naturam explicuerit, nisi denovo spiritum Thomasiai corporeum, aut (si ferre nolit ille vocem) bestialem subrepere patiatur. Haectenus per inductionem spirituum, Scripturae conformem, vita spiritus in intelligendo & volendo ponitur, qui conceptus si displiceat, licebit forsan alium abstrahere, ne spiritus sit plane nihil, cum operationes manifestae sint, & saltim attributa,

D

quae

quae Scriptura ipsi adsignat, in censum venire debeant. Et si nihil mens haberet, nisi facultatem vtendi organis ad percipiendum & appetendum, quod quidem nondum admiserim, erunt tamen facultates reales. Iam mens peccati originalis *πρωτον δεκτικον* est: si ergo facultates purae in omnibus eadem sunt, nec corruptae; sed omnis imbecillitas & morbus in dispositione; mens ex peccato originali nihil aliud participabit, quam quod per instrumenta corporis, penitus deprauata, in suis operationibus impeditur: h. e. mentis corruptio negabitur: quemadmodum fabri vitium non est, si fracto aut laeso malleo ceterisque instrumentis, effectus vitiosus producitur.

XXIV. Equidem in his quoque Virum summum optime sentire existimo, cum vbiq; insanabilem hominis calamitatem ex S. litteris inconnata nobis omnibus & omnium hominum pectoribus insidente labe quaerendam doceat. Et credo male id habere Thomafianos sectatores quosdam, quod cum Scriptura illius hypotheses componere tentet: sed forsitan hoc ipso ingenue fateri volunt, irreconciliabilem esse Thomafium cum Scriptura, omnis purioris Theologiae euersorem. Certe per hunc nihil peccati originalis ad mentem pertinebit: Sed quicquid est, erunt corporeae istae propensiones. Adeoque etsi Vir optimus supponat P. O. non tamen cum systemate recepto cohaerebit. Tota enim illa philautia corporis est, spiritu bestiali animati. Referuntur tres propensiones ad tres ventres, voluptas ad ventriculum, ambitio ad cor, auaritia ad cerebrum; haec ad memoriam, illa ad appetitum bestialem, ista ad libidinem. Habes rapacem lupum, & inuidiosum canem: generosum equum, qui spernit latratum canis; turgentem in fimeto suo gallum; leones aliasque bestias, ceterarum subiectionem & ambitionis quandam speciem affectantes: denique libidinosos hircos & salaces passeris. Vt pateat meras corporis propensiones primum inuentorem intellexisse: vnde & omnia fere ad corporis temperamenta referuntur, quasi proximas propensionum causas. Erit itaque denuo spiritus Thomafianus supponendus, & mens a peccato originali excludenda, si non aliae, quam corporis propensiones vitiosae, illi tribundae sunt. Cur propensio erga DEVM, propensio erga homines omittitur? Quia corpo-

reum

reum illud systema non admittebat. Thomafius se facile explicat. Illae propensiones ad spiritum bestialem plane non pertinent, sed in altero coelesti spiritu haerent, atque pravis corporis propensionibus modo supprimuntur & impediuntur; semper tamen bonus ille spiritus reluctatur, suaque natura constanti desiderio (quae preces Thomafianae sunt) carnem superare potest. At in nostro systemate mentis purae nulla est propensio, nulla facultas corrupta, nec aliter, nisi quatenus a corpore abripitur. Hinc impietas, iniustitia nulla asseritur, nisi quam voluptas, ambitio, avaritia, corporeae propensiones, sanguis, cholera, atra bilis caussentur.

XXV. Quantum ad morbos, prava *Φιλαντία* recte omnis mali fons docetur. Quando vero *amor sui in se & abstracte spectatus, appetitus se conservandi & perficiendi, omnium actionum humanarum a creatore inditus fons & scaturigo esse affirmatur, & hoc liberius dici auctumo.* Homo propter Deum creatus est, cuius gloriam in societate humana celebrare debet. Itaque amor DEI primus fons, & studium humanae societatis altera scaturigo actionum nostrarum esto. Horum causa vitam ducimus; horum causa vitae conservationem & perfectionem quaeramus. Quae vero iam sequuntur actiones ad hanc recte diriguntur. Sed illud est, quod Thomafius vitam corporis fundamentum omnis boni dixit, omniaque ad corporis proportionem ordinari voluit. \* Quod quid aliud est, quam Aristotelicorum & Stoicorum prima naturae, ad solam sui conservationem directa, quorum coeca philosophia altius, quam ad animi tranquillitatem quandam *Φίλων*, non assurrexit. \*\*

XXVI. Porro non satis assequor, cum celeberrimus Auctor ipse duos principes affectus constituat, *Amorem & Odium*, cur in morbis humanae mentis non itidem duas pugnantes huiusmodi propensiones faciat.

D 2

Thoma.

\* Einleitung zur Sittenlehre / I. H. S. 38. 39. Des Leibes Leben / welches in einer proportionirlichen Bewegung des Geblütes und anderer Säfte bestehet / ist nicht allein gut / sondern auch der Grund alles Guten / ic.

\*\* Cicero de finibus ubique, praesertim L. IV. c. 6. 7. L. V. c. 6. & ita c. 7. In quibus (primis secundum naturam) incolumitatem, inquit, conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, ceteraque generis eiusdem, quorum similia sunt in animis quasi virtutum igniculi & semina.

(o) 50

Thomafius quidem in corporeo systemate nullum odium inueniebat, nisi quod ex aduersi obiecti amore flueret. At in saniore Theologia & Philosophia abunde docemur, natura sua homines odisse DEVM, natura sua peruerse amare alios homines, aut erga illos iniustos esse; non tantum propter voluptatem, ambitionem & auaritiam. Quemadmodum enim recte monet, illa obiecta singula, iucundum, honores, diuitias, vel propter se amari, vel propter aliud: Et aliam propensionem esse, si quis diuitias appetat, vt diues fit; aliam vero, si voluptatis causa, aut honorum illas quaerat: Ita certum quidem est, oriri impietatem & iniustitiam ex voluptate, ambitione, auaritia; nihilo tamen fecius certum quoque est, naturalem esse humanae mentis a DEO & iustitia auersionem. Hinc & illud patet, plures voluntatis prauas inclinationes constituendas esse, vt obiecta, in quae appetendo aut auersando fertur, exhauriat.

XXVII. Argumenta numeri ternarii quod spectat, fatis profana sunt, quae ad illudendum SS. Trinitatis mysterium Satanas in Platonismum inuexit, & a Thomasio huc referuntur. Sed abominanda somnia recte auersatus laudatissimus Auctor, merito & his abstinuit, & triplicis ventris tantum corporeo fundamento. Interim non plane improbasse putes applicationem *trium hostium capitalium, carnis ad voluptatem, mundi ad gloriae cupiditatem, diaboli ad pertinaciam*, pro qua auaritiam substituit: cumque in priori editione Geulingum & Philalethum citasset, modo allegasse lusum ingenii videri poterat. Absit autem, vt quicquam Viro ex coniecturis tribuamus: certum tamen est, quam peruerse Thomafius in scripturae ludibrium de illa trinitate (sit venia scelerato vocis abufui) scribat, & Belialem siue diabolum in meram bestialis spiritus propensionem conuertat. Scripturam vero per carnem omnes irrogenitorum prauitates, per mundum colluuiem malorum hominum, exemplo ad omnes malas propensiones instigantium; per diabolum, inimicissimum DEO & humano generi hostem intelligere, nisi coram seculi *ἐμπαίσιος*, probatione non indiget.

XXVIII. Vera autem fundamenta quaerit celeberrimus Auctor noster in *tribus classibus bonorum apparentium, quae hominem ad philautiae abusu-*  
*sum*

*sem commoueant, diuitiis, honoribus & bonis iucundis, quae voluptatem exci-  
tant.* Iam primum valde dubito, omnia recte ad has referri classes,  
quae philautiam excitare possunt. Illud equidem video, voluptati lon-  
ge ampliores terminos adscribi, atque a primo hypotheseos auctore  
constituti erant. Huic enim ille ventriculum addixerat, cuius species  
luxuria, lasciuia, otium: cumque videret, immoderatam sciendi cupi-  
ditatem siue curiositatem a morbis animi excludi non posse, hanc quasi  
merum otianum studium ad voluptatem reducendam statuit, nec aliter  
poterat, nisi corporis cancellos egredi vellet. Altius vero penetrauit,  
summus Vir, probe animaduertens, in curiositate non semper, imo  
raro otium corporis quaeri: quin quo maius studium sciendi, eo plus  
laboris & virium corporis impenditur, vt P. Scipio Africanus maior,  
dicere solitus: *nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus  
solum, quam cum solus esset.* \* Nimirum vt bona cetera, ita scientia vel  
propter se, vel propter aliud, nec modo voluptatis, sed etiam ambi-  
tionis & auaritiae causa expetitur: vt contra opes, honores, otium ad  
explendam curiositatem quaeri possunt. Itaque voluptatis ambitum  
extendi voluit, vt animi quoque delectationem complecteretur. Ob-  
iectum ergo eius statuit omne iucundum: nescio vero, annon inuita  
hypothesi electa, quae diuinam illam mentem penitus excludit: So-  
lam ex corpore voluptatem intelligi, etiam natura temperamenti, quod  
ei assignatur, euincit. Proprietates huius sunt *incuria, pigritia, lan-  
guor, inconstantia, nulla animae cura, sed corporis, mollities, plus phantasiae,  
quam iudicii.* Quae cum curiositate siue insatiabili scientiae cupiditate  
conciliare nequeo. Quod si vero ob delectationem, inde percipi soli-  
tam, ad voluptatem referri debet, vnica tantum esset propensio, cum  
& ex honore ambitiosus, & ex diuitiis auarus suam voluptatem capiat,  
& ipse *Φίλαυτος* in amore sui delectetur. Quod de affectibus scribit:  
*in omni affectu esse quandam delectationem*, illud recte ad ipsas inclinationes  
applico, Auctore praeunte, quod affectus a propensionibus non ali-  
ter atque actus ab habitu differunt. Scilicet effectus quidam inclina-  
tionum est voluptas illa, vt ceterarum, ita quoque curiositatis. Tum

D 3

enim

\* Cic. Offic. L. III. c. I.

enim mens voti compos in bono, quod appetiit, etsi vano & falso, aliquandiu acquiescit, quaesitamque tranquillitatem impetrasse, decepta gaudet.

XXIX. Deinde non video, cur alios homines a numero bonorum apparentium remoueam. Et ab his *Φιλαντία* excitatur. Quorsum alioqui pertinebit immoderatus parentum erga filios, filiorum erga parentes, coniugis erga coniugem, fratrum & amicorum amor? tantus saepe, ut viuentibus, citra voluptatem, ambitionem & auaritiam; sed ex solo amore & studio illorum, officia summa negligant erga DEVM, homines & seipsos: Morientibus adeo acerbe casum illum ferant, ut omnium obliti, nullam consolationem admittant, DEO saepe litem intendere videantur, hominibus graues sint, officia negligant, quin aliquando ex moerore semet ipsos conficiant. Num haec voluptas erit, ambitio aut auaritia? Alioqui non nego propter haec etiam amari homines, ut de ceteris propensionibus iam dixi: nequaquam vero semper *Φιλαντία* in eo consistat, quod sanguinem suum in propinquis, naturae excedentis instinctu, ament; in amicis vero, cum similitudo morum & animorum coniunctio amicitiae fundamentum sit, suae virtutis & consuetudinis quandam imaginem deperiant, aut quod impulsus a natura socialitatis limites transfiliat, & cor cum corde veluti conglutinatum sibi placeat, disruptum vero dolorem indignetur.

XXX. Restat DEVS, quem absit inter bona apparentia colloceamus. Annon vero peruersus hominum de DEO conceptus bonum, apparens dici queat, quod superstitionem gignit, expendi velim? Auaris quidem superstitionem propriam facit: nec abnuo. Solent homines plerique diuitiarum gratia DEVM superstitione h. e. pro conceptus vanitate colere: non tamen solum: quin etiam, ut honores, voluptates, scientiam, liberos consequantur, & suorum causa. Et largior, vix conceptus superstitionis erit, qui non horum aliquid supponat. DEVS enim quantus quantus est, bonus est, & beneficia effundit. Fieri tamen potest, ut hanc DEI bonitatem aut perfectionem, ab omnibus illis speciebus abstractam, quis cognoscat, ut in & per se amore dignum censeat; tamen in ceteris erret: qualis conceptus Timoleontis supra allati,

allati, aut Pythagorae, Socratis, Platonis, fuisse credibile est: peculiaris tum & haec erit propensio. Cumque certum sit, propter omnia alia obiecta superstitiose amari DEVM, quidni per se quoque superstitionis propensionem in hominibus asseram. Est etiam homini natura datus instinctus amandi DEVM, quem etsi exitiabilis ruina penitus extinctum, potius in odium conuertit, ea tamen rudera cineribus sepulta latere constat, vt, creatorem verendum esse, animo conuictus sit, quibus ruderibus malitia naturae illudens, omnino superstitione sua amoris imaginem mentitur. Ceterum calamitatem hominis & morbos non satis exhauriri credo, quando bona apparentia commouere dicuntur ad abusum philautiae, sed, cum amor sui communis sit moborum, fons, ex eodem quoque contrarias propensiones oriri arbitror, vt ante monui. Quare si vel maxime amore peruerso in DEVM non peccaretur, odium tamen DEI, siue impietatem, & odium hominum bonorum, siue iniustitiam, non minus naturalem, quam ceteras propensiones his annumerandas arbitror.

XXXI. Praecipuum fundamentum numeri ternarii autem in tribus temperamentis positum videtur, vt sanguineum voluptatem excitet, cholericum ambitionem, melancholicum auaritiam. Phlegmaticum Thomafius, noua explicatione, mixtum ex prioribus temperamentum & optimum facit, vt illud quartae propensioni suae, amoris rationali respondeat. \* Noster autem receptiori hypothese, hoc ex abundantia feri constituit, quod tardos, somnolentos, pigros faciat, vt magnorum scelerum non sint quidem capaces, virtutisque quandam speciem prae se ferre videantur, quae tamen vere ignauia sit. Et multum sane tribui videtur, huic temperamentorum distributioni. Quin ab ea non minima parte pendere crediderim totam illam ingenia, propensiones, cogitationes & studia hominum cognoscendi artem. Sed vt temperamenti diiudicandi non spernendos vsus admitto, ita numerum ternarium in eo valde vacillare existimo. Vix quicquam in Anthropologia incertius, & magis variabile quam haec doctrina. Thomafius c. l. quaerit illa in Sale, Sulphure & Mercurio, huic sanguineum, illi cholericum, isti melan-

\* Ausüb. der Sittenk. c. VII. s. 7.

lancholicum tribuit. Prima editio nostri systematis ex proportione humidi naturalis, e calore naturali distribuendi, pro diuersitate humorum praeponderantium deriuauerat. Sed in altera recentiorum Chymicorum particulas sanguinis, salia, oleum, terrestres crassiores, & denique serum iis constituendis applicat. Nec spernenda plane haec accuratio- rum medicorum hypothesis. At quo diligentius illa examinabitur, eo incertior erit temperamentorum numerus. *Raymundus Vieussens, Medi- cus Monspeliensis*, phlegma, spiritum ruffum, oleum nigricans, sal vo- latile, sal fixum, & terram ex sanguine humano, in pondere aequali cum tota destillata portione, adeoque sine sensibili particularum di- spendio, extracta; & temperamentum sanguinis non nisi in determinata principiorum eius sensibilibus proportione, quoad quantitatem & qua- litatem consistere docet. \* Imo hae particulae ab aliis adhuc subtilius distinguuntur, & ipse Vieussens multum disputat de sale fixo non mo- do alcalino, sed quoque falso & acido. Nec forsan contemnendi sunt, qui praecipuum corporum vigorem in Mercurio ponunt, siue particu- lis spirituosis, quas causam omnis mobilitatis & inconstantiae faciunt: quippe quae non incommode ad ingenia Mercurialia applicarentur.

XXXII. Iam si varietatem seminum, aetatis, sexus, vitae, gene- ris, victus, incolatus regionum s. aeris, aquae, & locorum, roboris cordis, & pulmonum ac viscerum aliorum succum sanguinemque ela- borantium, tum & motuum animi pariter, ac corporis, somnique & vi- giliarum, excretorum & retentorum, morborumque ac rerum aliarum, quibus homines subiicimur, & mixtio, motusque liquidorum varie, immutatur; cum illa vix definienda particularum sanguinis varietate, temperatione & motione pensitemus: aliud pronunciare non liceret, quam quod accuratissimus Archiater Regius Io. Gothofr. Bergerus \*\* inde concludit, tot fere constituenda esse temperamenta, quod sunt in- diuidua. Indies mutantur temperamenta, mutantur etiam propen- siones, quae si a sola corporis constitutione pendent, vt hypothesis cor- porei spiritus requirit, & asserere videtur auctor XII. Obseruat. Halensis

T. II.

\* Act. Erud. 1699 p. 376.

\*\* *Physiol. Medica* L. I. c. V. p. 109. Iunge, si lubet, *Thomae Fieni Simiocites* P. I. Sect. II. c. I. II. III. Sect. IV. c. III. P. II. Sect. I. c. I.



T. II. quod *voluntatem hominis quotidie cogi docet*: sequitur, quod ex infinitis voluntatum mixturis, infinitas quoque species specialissimas (dixerim potius individua) Observator constituat: quasi accidentium mutatio variet species: Et species in speciem mutetur. Voluptuosus enim facile mutatur in curiosum, ambitiosum. Irreginitus in reginitum, qui omnes secundum Observatorem specie differunt. Non enim mihi persuadere possum, quod VIR summus, in cuius systemate occupati sumus, asserit, temperamentum & corporis constitutionem mutari non posse, hinc etiam in emendato statu alios ad mansuetudinem, alios ad iustitiam, alios ad alias virtutes propensiores esse. Mutantur indies causae temperamentorum, adeoque & ipsa temperamenta, & gratiosa Spiritus S. *ἐνέργεια* facile omnem vim temperamenti superat. Quin omnino artem illam de signis propensionum prorsus fallacem arbitror. Etsi enim apud irreginitos suum quendam usum habeat, plerumque tamen ea aduersus Seruatoris *μὴ κενετέ* peccari certum est, cum nemo in hac vita ita emendetur, vt non cum vitiis colluctetur, adeoque non interdum haud animadvertens, verbo prodat imbecillitatem, cuius, vt agnoscit, statim poenitet. Interim hunc voluptuosum, ambitiosum, &c. pronuntiabit gloriabundus artis inuentor, qui tamen in gratia DEI per fidem stat. Imo tot concurrere possunt signa, praecipue ita, vt in hoc systemate docentur, quae omnino sanguineum arguunt, nec tamen vlla ratione voluptuosum: & multo magis cholericum, Christianae *ἰατρικοφροσύνης* studiosissimum: melancholicum, nihil minus quam auarum. Non enim modo gratia Spiritus S. vt dixi, temperamenta superat, sed tot concurrere possunt causae, quae vni temperamento assignatam propensionem, manente temperamento, penitus supprimunt. Si enim e. c. sanguineo subtrahantur omnes occasiones voluptatis, & educatio totaque vitae conditio ab assiduo magistro ad ambitionem tota componatur, nihil voluptatis fere tandem restabit, sanguine vigorem retinente.

XXXIII. Atque vt ingenue dicam, quod sentio, praeiudicium electae hypotheseos multa inuexisse in hanc de propensionibus artem videtur, quae ad quamuis aliam causam potius referenda erant. Nimirum cum egregie ad voluptatem sanguineum temperamentum se ac-

commodaret, id quod sponte sequitur, cum propensio in corpus omnino a corpore iuuari, ali, augeri debeat; inde transitus ad ceteras quoque propensiones quauis verosimilitudinis specie factus. Particulis oleaginis ac bili repentinam quidem incensionem tribuerem, indeque aliquam, si propensio consentiat, ad iracundiam procliuitatem. Sed hinc nulla ad ambitionem consecutio. Illa incensio & actionum vehementia tam potest libidini, aut opum cupiditati & curiositati flammam subii- cere, quam ambitioni. Nec ambitiosi omnes iracundi: imo dixerim ambitionem tantum, nisi maius, alimentum e salium motu concipere, quantum ex bilis inflammatione vix potest. Licet non negem, illam flammam in ambitiosis magis esse conspicuam, quod haec suprema fit, prauarum propensionum, & *αυτοβελήσεως* diuturnitate flammae isti maius alimentum praebet. Sed haec diuturnitas aliunde magis, scilicet a sale fixo, scilicet terra, aut sero, quam a bile deducenda est. Hinc quoduis temperamentum viro politico, & magnis rebus gerendis adhibendo, aptius credo, quam biliosum, omnis incontinentiae originem. Melancholicis, in quorum sanguine sulphur, scilicet oleum terra mixtum, dominatur, auaritia tribuitur & inuidia. Sed inuidiam quidem non minus alit voluptas; dum canis os rodit, socium, quem diligit, odit: longe magis autem ambitio: vt effectus fere fit omnibus propensionibus communis. Sed auaritiae cum atra bile connexionem vix inuenio. Forfan eo redit: Cupiditas opum infima est & abiectionissima propensio, facile a quauis alia superabilis, hinc ad quamcunque corpus dispositum fuerit, melius se habebit: vt adeo teterrima corporis constitutio, quam nimia terrae grauioris abundantia caussatur, etiam ad altiora non ascendat, sed infimae modo inclinationi excitandae apta sit. Illud vero, quod terra natura sua ad amorem pecuniae & opum terrenarum inclinet, non satis capio, nec explicare possum. Denique Phlegmati Thomasius bona omnia, nostrum systema nihil tribuit. Ex sero optime deriuari puto. Sed omnino illi etiam in formandis temperamen- tis sua utilitas relinquenda. Nimirum salium volubilitatum, & bilis inflammationem ab excessu temperat, terrae grauitatem vero diluit, ne a bile prorsus exuratur. Excessui autem serosarum particularum omnino tarditatem, tandemque ignauiam tribuo, atque ab his etiam malo otio- sum torporem deducere, quam a sanguinea complexione:

XXXIV. Quae iam de facultatibus ingenii, mixtis quidem *μιμήσεις & μνήμη*, & puris *αγχινοία & ὀξύτητι* scripseram, quae alias ad iudicium referuntur, nec ad bilem vlla

vlla

vlla ratione pertinent, sicut contra memoria ab omnibus particulis sanguinis determinatur: Itemque de particularum proprietatibus, vt salibus salacitatem; volatili celeritatem; fixo firmitatem; oleo vehementiam & praecipitantiam; terrae crassitiem, obscuritatem, tenacitatem; Sero lentitudinem, otium, ignaviam tribueremus, ad quorum compositionem temperamenta & signa propensionum ordinanda essent: Denique quomodo adornari velum systema morborum, cuius fundamentum sunt principia & inclinationes naturae inscriptae: quibus post lapsum successerunt praevae: *Impietas, iniustitia, intemperantia, ratione intellectus curiositate; voluntatis avta deica s. ambitione; corporis voluptate; domini in creaturas, auaritia*: quarum causae natiuitas in mente pariter & corpore, hinc educatio & consuetudo, tertio demum loco corporis constitutio cum ceteris externis: porro de vitiis ex singulis fluentibus: & tandem praxi Ethices, quae ob crassiora ingenia vulgi cum crassioribus tribus infimis maxime depugnat, exemplo eorum, quos citat *Obs. IV. Hal. T. IV.* ea quidem operum festinatio nunc abesse iubet.

Σ Τ Ν Ο Ψ Ι Σ.

I. Veterum Philosophia moralis in vita, *γνώμεις, sectis.* II. Principia rationi obscura, exceptis Officiis, adhuc imperfectis. III. Ignorarunt verum summum Bonum. IV. Nec in scholis Christianis Peripatetici ab Aristotele recedere ausi. V. Ratio coeca fluctuat in eruendis principiis. VI. Quae reuelationis auxilio firma statuenda. VII. Haec sana ratio, Principium Philosophiae, non detrectet superiorem normam Scripturae, quae simul h'atus rationis indicet. IIX. e. c. Ratio per se non assequitur: DEVM esse summum Bonum, & voluntatem amore DEI sanandam. IX. Adiuta vero nec prae fracta aequitatem principiorum admittit, & conuincitur, s. illud B. nec satis cognoscere nec amare posse. X. Quae est *παιδαγωγία* ad reuelationem: de vera felicitatis via hiatus. XI. Ergo vera Ethica in Christianismo quaerenda. Cartesii Mechanismus. XII. Ethicae Thomasiae, a Viro summo emendatae, systema. XIII. Praecipue de morbis voluntatis. XIV. Supponit Spiritus Thomasianos & tres hominis partes, quae recensentur. XV. Ex Platonismo reductas. De Cabbala iudicium. XVI. Vnde Theosophia mystica & Th. principia. XVII. Hypothesis Th. de morbis voluntatis sine illo tertio spiritu explicari non potest. Motus corporis a mente & peccato originali distincti. XIX. Affectus ex spirituum animalium agitatione. *ὄπιον* semper mala: mechanismus. XIX. Num intellectus sit voluntatis instrumentum, & ille in cerebro, haec in corde sentiatur. XX. Mens per sanguinis motum in organis sensuum operatur, vnde in cerebrum & cor penetrat. XXI. Quomodo distinguantur intellectus & voluntas. Sedes mentis. XXII. Ruit ergo hypothesis de intellectu a voluntate emendando. XXIII. Num intellectus purus omnibus idem? quod cum peccato originali stare nequit. XXIV. Propensiones a solo corpore, spiritu bestiali animato, pendent: Ergo mens immensis esset a P. O. XXV. Num amor sub, etiam bonus, omnium actionum humanarum fons debeat esse. XXVI. Odium DEI & iniustitia sunt propensiones naturales, a ceteris distinctae. XXVII. Argumenta numeri ternarii propensionum. (1.) Th. Trinitas: Caro, mundus, diabolus. XXVIII. (2) Tres classes bonorum apparentium. Curiositas est distincta propensio. XXIX. it. Peruersus hominum amor. XXX. Item superstitio. XXXI. (3) tria temperamenta, ipsa sententiarum varietate incerta. XXXII. Causae temperamentorum tot horum efficiunt; quae sunt individua. Quotidie mutantur, mutantur ergo & propensiones, vnde signa facile fallunt. XXXIII. Voluptas recte sanguineo temperamento tribuitur; sed in ceteris non talis connexio. De facultatibus ingenii & particularum sanguinearum proprietatibus. *Nostrum de Propensionibus Systema.* Amen.

Amantissimos sui,  
 in patriae bonorumque spem natos,  
 atque egregiis ingenii, pietatis, industriae,  
 ceterisque hac aetate dignis virtutibus ornatos Adolescentes,  
**DAN. GVIL. BRVNQVELLVM**, Respondentem,  
**IO. PETR. VOGTIVM**, ac  
**IO. CHRISTOPH. OTTONEM**, Opponentes,  
 AD ALTIORES SCHOLAS  
 dimittit, gratiam diuinam & optatissimos laudabilium  
 conatum successus ex animo precatus,  
**DISPUTATIONIS**  
**PRAESES.**

**Q**uod alioqui stimulantibus ad virtutem honestis ingeniis,  
 eodem, quo vos itinere occupatis, largiri solent boni  
 Praeceptores, ut egregie currentes modesta laude con-  
 firmare, ceteros ad aemulationem excitare studeant: hoc si amo-  
 ris pari gradu, quo me erga vos adfectum nostis, exequar, vereor  
 ne aut vobis illud, aut mihi sit inuidiae paratum instrumentum.  
 Et malo vos praeceptionum nostrarum memores, assidua offi-  
 cii vestri cogitatione, quod de animi, corporis, fortunae doti-  
 bus omnium dierum, horarum, momentorumque rationem  
 exquirens, innocentiolem longe, quam vel subtilissimum &  
 speciose coloratum ambitionis calcar, pietati vestrae, vnico ve-  
 rae eruditionis fundamento, stimulum addet, in solito & satis mihi  
 comprobato industriae curriculo retineri. Hoc tamen, credo,  
 vitio mihi nemo vertet, si, quid patriae atque amori meo debeat  
 tis

tis, ex eo vos colligere velim, quod singulos virtutis quodam speculo, a celebrioribus relicto ciuitatis nostrae ciuibus, instructos dimitto, atque in illud quotidiana pietate officique vestri recorde intueri iubeo. Tu quidem, dilectissime Brunquell, CHRISTOPH. HAMMERVM, ciuem nostrum, in tabulis Professorum celebriorum illustris, quo tendis, Academiae Ienenfis inuenies: cui, si malis, summa vi ingenii florentem quondam D. IO. CHRISTOPHORVM SELDIVM adiungas, Sacrorum Romhildensium, indeque Coburgensium antistitem, qui & ipse Ienae studiorum initium fecit; Vitembergam te, suauissime Vogti, non vnus, sed numerus Doctorum comitari possit. Ex Professorum ordine CHRISTOPH. NOTNAGELIVM, Hilperhusanum, industriae tibi exemplar sisto, qui XXXIII. annos superiora Mathemata ibi docuit. Habebis tamen etiam inter eos, qui sanctiorem operam Ecclesiae consecrarunt, memoria proximum, & pietatis ergo nominandum B. parentum meum, D. IO. REINHARDVM, \* cuius integritatem, doctrinae puritatem & singularem diligentiam si referre olim studeas, vera te incedere via ne dubites. Tibi tandem, amantissime Otto, vnum illud, in quo vtrumque ordinem coniunctum habes, magnum patriae tuae decus & immortale nomen, Lipsiae ante oculos versari volo, qui tantae eruditionis virtutis atque famae fundamentum ibi posuit IO. SAVERBREY, SS. Th. D. & Erfordiae Professor Publicus Augustanae Confessionis, Ministerii Euangelici Senior, Ecclesiae Dominicanae Pastor primarius, & Gymnasii Augustiniani Prot-Ephorus. Summam in hoc tanto VIRO intuebere non modo ingenio parem industriam, quae Silusiae & Coburgi scholis & templo perutilem & amplissimam operam consecrauit, donec Erfordiae desiderium vicit, vt illustre Casimirianum Gymnasium, simile fatum in Meyfarto quondam suo expertum, Directorem optimum illi concederet, vbi quidem nu-

per admodum summum in mortalitate fastigium consecutus videri potest: verum & exempli rarioris pietas digna est, quam boni omnes suspiciant, qua quicquid famae gratia coelestis virtuti eius tribuit, ipse potius in patriae splendorem conuertere admissus est. Sumam hoc mihi ciuium nostrorum nomine, quorum, quotquot VIRVM norunt, voluntatem exploratam habeo, vt publice, verbis patriae non ingratae, beneuolum ipsius animum, quam decet honorifice excipiam, & communi omnium voto gratuler, Deumque supplex rogem, vt non modo cunctos ipsi porro secundare honores velit, sed & longam senectutis incolumitatem elargiri, ne se tanto ornamento destitutam spe votisque celerius Hilperhusa conqueratur. Vos interea, o mei, currite felices hoc virtutis ingressi stadium, nec per inanes fungorum delicias & inlecebras vos auerti patimini. Nunquam sudoris docti vos poenitebit. Palma in medio posita est. Ex quo cum Euangelio renatae litterae fuerunt, continua serie summos recensere possem viros, qui nominis celebritate Hilperhusam illustrarunt. M. HENRICVS THEODORVS, nostras, Sorauiae CLmi Neandri, qui Lutherum audiuit, Praeceptor fuit, indeque Ecclesiae in Ducatu Lignicensi Silesiae Inspector: Hunc HAMMERI, WOLFRUMI, WALZI, WAGNERI, SCHRICELII, NOTNAGELII, SELDII, & (singulari pietate mihi venerandum nomen!) KOBII, alii, qui praeter superstitibus adhuc, omnes Doctores aut Professores, non interrupto ordine se exceperunt. Currite igitur atque id operam date, ne a vestra diligentia amatissima vestri Hilperhusa desertam se aliquando sentiat: Nec miramini, tantis ingenia vestra NOMINIBVS a me vrgeri, sed mementote, optimum quidque imitationi proponendum esse; ἀλλὰ μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης. Id quod in misericordia diuina figillum, a quo praeceptiones meae, spes votaue pendent, esse creditote. Valete. Hilperhusae XIII. KL. Maias, cl. l. CCIIX.

Eius

\* Eius memoriam habetis in *Triade Decadum M. H. Pippingi*, Max. Reu. VIRI, non meo quidem nomine, ab obliuione vindicatam, vt ibi honoris caussa legitur: vereor enim, ne iniquiores censores maiori verecundia, quam pietate vinci volui, scriptam requirant. Inuenio tamen, exscribentium culpa, aut forsan alicubi mea per nundinas festinatione (nec enim quicquam CLmo Editori tribui velim) lectorem inexercitatum in assequendo sensu haerere posse: Qui si lubeat, potiora sic emendet. P. 1309. leg. maleferiatos *homines*. lin. 10. l. singuli per *vices* lin. 16. *quae* haectenus in Ecclesiae p. 1313. lin. 14. retro numeranda leg. *qui* plerasque confutatas. p. 1314. lin. 11. nec e sententiarum. lin. penult. omissa sunt haec verba: *quasi data opera conquirens*, cum tanto animi. p. 1317. lin. 12. a fine leg. de nouo excitatas lites. p. 1318. lin. vlt. Quod si porro hanc. p. 1319. lin. 5. *iripudio*. lin. 8. a fine, sciscitatus est. p. 1320. lin. 13. litteris *nomine* Facultatis Theologicae. Ceterum quicquid ibi de caussa Musaeana recitavi, ex idoneis hausi documentis, nec spero quenquam veritatis studium in me desiderare. Velim igitur Vir Plurimum Reuer. D. Io. Adolphus Frohnus, Past. Prim. Superint. Consist. Ass. & Schol. Insp. Mühlhusinus, prius certiora consulisset, quam de Viro, ipsi prorsus incognito, ex mero in Vitembergenses odio contemptim iudicasset. Ita enim in der Berthädigung des Rechts des geistlichen Priesters p. 28. Der sel. D. Musaeus hat sich um die Kirche Gottes wohl verdient gemacht / auch wider Lic. Reinhardten / einen Wittenbergischen Zeloten / der die Jenischen Theologen mit 93. Irrthümern belegen wolte / welchem der selige Mann mit solchem Nachdruck begegnete / daß er schweigen mußte. Cui fini producitur caussa, quam tot Principes grauissimis consiliis & auctoritate, pacis in ecclesia retinendae caussa, sepultam maluerunt: cui paci communi etiam B. pater meus atroces iniurias, quibus innocentissimus petitus erat, pie condonauit, & declarationem, Principis & summorum virorum auctoritate scriptam probatamque, ab editione retinuit, & quae, si spiritus concordiae ac veritatis obtineret, cum vtroque *vōv év άγί-οις* viro, certe per nos, vt vulneribus ecclesiae parceretur, exspirasset? B. Musaeo cum B. patre meo in illa quaestione, quam ventilat Pl. Reu. Vir, plane nihil disputationis intercesserat, nec speciem

vlla.

vlla coniectura assequar, nisi quod occasionem animi acerbitatē ad-  
 uersus Vitembergenses prodendi arripere voluit. Prouocat ubi ad  
 auctoritatem B. Musaei. Atqui illam ὁ ἐναυθίας non in dubium voca-  
 uerat. Musaeo laudem acutissimi ingenii, maximorūque in Ecclesiā  
 aduersus hostes veritatis meritorum Vitembergenses, credo, omnes  
 vltro concedunt. Et iniquiores quam nos, puto esse in Viri fa-  
 mam, qui non laceffiti, renouandae litis caussam praebent. Quae,  
 inuito parente meo, ille passum se sibi persuaferat, satis, imo paullo  
 etiam plus iusto vindicauerat in declarationis dedicatione. Iam  
 longe post vtriusque obitum, ad secundum prelum Ienae reuocata declaratione, re-  
 crudescere videbatur vulnus, quod pietas innocentiae B. patris aduersus acerbissi-  
 mas accusationes litare postularet. Nec deerant summae auctoritatis Viri, qui omni-  
 no opposita B. Patris declaratione nouam iniuriam depellendam censerent. Sed ec-  
 clesiae, tot iam tum concussae turbis, tranquillitati metuens, omnia prius, qua pos-  
 sem vnquam modestia & lenitate, experiri malui, etsi consilio, vt fere euentus do-  
 cet, Satanae infensis artibus, magis innocente, quam felici. Illustrem SENATVM  
 SER. PRINCIPIS nostri litteris supplex primum petii, vt auctoritatem interponeret,  
 & nisi libri editionem, tamen praefationem ignominiosam curarent remouendam:  
 B. Musaeum enim, rei gestae ignarum, omnino plus aequo doloris vehementiae indul-  
 fisse. Facile autem me passurum, vt VIR bonis, a partium studio alienus, totius ne-  
 gotii narrationem contexeret, qua libro praemissa vtriusque famae consuleretur.  
 Ipsas quaestiones aut eiusmodi esse, vt vel ad Syncretismum plane sopitum (non-  
 dum enim vnionis consilia coeperant) vel priuatas quasdam sententias, & loquen-  
 di formulas contingerent: cetera quae momentum traherent, ab vtriusque Aca-  
 demiis sectatoribus excuti, confici & componi posse citra litis pristinae acerbita-  
 tem: sicut haecenus factum in memorabili quaestione, de vnione mystica per  
 substantialem approximationem, inter Summe Reuerendos Viros, M. Io. Iac.  
 Mullerum, Ren. Min. Augustae Vindelicorum Seniore, & D. Val. Ern. Lö-  
 scherum, celebrem Vitembergensium Theologum. Quod si non impetrarem,  
 omnino ad integritatem famae optimi viri pertinere, vt prelo parata declaratio,  
 summa modestia & aequitate se bonis probatura, ederetur. Priusquam vero con-  
 silia cum ceteris AVLIS Serenissimis conferri possent, prodiit interea Ienensis  
 declaratio, nulla parte moderata. Quare non improbante illustri Consistorio, edi-  
 tionem, remotis omnibus nominibus, vt tanto minus quemquam laederem, pa-  
 rabam, nec deerat, qui sumtus ferret, nisi Suecorum in Saxoniam aduentus mo-  
 ram iniecisset. Interea suadebant amici, B. Patris memoriam M. R. Pippingo suis  
 decadibus inferendam commendare, quam commodam occasionem declarandae si-  
 mul eius in hac controuersia innocentiae arripui, vt vel hac ratione perniciosas con-  
 tentiones euitarem, atque editione supersederem. Viderit ergo ibi Pl. Rev. VIR,  
 quomodo B. parens meus ad silentium redactus sit. Zelotarum vero nomen  
 Vitemberga sibi laudi ducit. Ier. XLIX. 10. Apoc. III. 15. f.

F I N I S.

Coll. Mus. A. 95, Musc. 10